



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

116.10.12

F O R M Æ ^{c.}
P R E C A T I O N V M
P I A R V M, C O L L E C T A E
E X S C R I P T I S R E V E -
r e n d i v i r i D. P H I L I P P I
M E L A N T H O N I S,

à
Luca Backmeistero
Lunenburgensi.



L I P S I Æ.

↳

LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF
SACSEN-ANHALT
MAGDEBURG

Lucas Backmeister
1711



8 8

1711



ILLVSTRISSIMO
 PRINCIPI AC DOMI-
 NO, DOMINO IOHANNI,
 Duci Slesuicensi & in Holstat, Domino
 Ditmarsiae, &c. Comiti in Oldenburg &
 Delmenhorst, Serenissimi & Christianis-
 simi Regis Danię filio, Domino suo
 clementissimo S. D.



QVANTA SIT MISE-
 riarum & calamitatum hu-
 manarum moles, testantur &
 querelę sapientum omni tem-
 pore, & experientia omnium
 hominum. Et verissima est Euripidea illa &
 tragica vite humane *ἡ ποτύπωσις* in exor-
 dio Tragedię Orestis,

ἔκ' ἔστιν ἕδεν δεινὸν ὥσ' εἰπεῖν ἔπος
 ἕδ' ἑ πάθος, ἕδ' ἔξυμφορὰ θεήλατος,
 ἦς ἔκ' αὖ ἀγατ' ἀχθος ἀνθρώπων φύσις :

quos versus & antiquitas sapiens admirata
 est, ut ex Cicerone in 4. Tuscula. questio-
 num apparet, cuius hæc sunt verba : Itaque
 non sine causa cum Orestis fabulam diceret
 Euripides primos tres versus reuocasse dici-
 tur Socrates :

A 2 Neg₃



E P I S T O L A

Neq₃ tam terribilis vlla fando oratio est,
 Neq₃ fors, neq₃ ira coelitem inuectum malū,
 Quod non natura hominum patiendo ferat.
 Quanta enim proh dolor sunt difficultates &
 ærumne in omnibus negocijs, quam varij &
 inexpectati euentus rerum & consiliorum
 omnium, quam multi labores & necessarij et
 vocationis proprij infelices & dubij? Deni-
 que quam multa accidunt omnibus homini-
 bus inextricabilia humanis consilijs aut hu-
 mana sapientia?

Ac prorsus necesse est fateri omnem vi-
 tam humanam sine Deo tristissimū esse cru-
 cis & ærumnarum Ergastulum: nec est nec
 fuit quisquam omnium hominum vllō tem-
 pore qui adfirmare ausit omnia sibi ex ani-
 mi sui sententia sine cruce & ærumnis mul-
 tiplicibus accidisse.

Quæsitum est igitur omni tempore quæ
 sint harum ærumnarum & miseriarum in
 tam præstanti natura causæ, & quæ in his
 firma et solida præsidia, ac diuersissimas fuis-
 se & esse hac de re opiniones testantur histo-
 riæ omnium temporum. Sed tamen tota illa
 antiquitas quæ sapientiæ nomen & titulum
 retinuit,

DEDICATORIA.

retinuit, ac possedit, semper adfirmavit diuino auxilio vitam humanam regi oportere, ut & sustineri, & vinci aerumna possint. Et hoc Dei auxilium omnes statuerunt ardentibus votis & gemitibus petendum, & implorandum esse. Ita Homerus qui propter sapientie existimationem apud sapientes & doctos omnes in admiratione fuit sui seculi, hac de re consuetudinem, pulcherrimo exemplo recitat. Scribit enim Palladem & Telemachum ad Nestorem venientes & honorifico epulo exceptos, mox ut ad mensam adsederunt, iussos esse precationem recitare, Cuius primum Pallas iussa à Pisistrato Nestoris filio precationem dixisset, & libationem pro more illarum gentium fecisset, mox & Telemacho senex & sapiens Nestor poculum vino plenum tradi petit, ut et ipse precationem & libationem cum alijs faciat, addit Epiphonemate dulcissimo his verbis:

ὅτι καὶ τῶτον οἶομαι ἀθανάτοισιν
Εὐχεῖσθαι, πάντες δὲ θεῶν χατέροσ' ἀνθρώποι.

Pulchrum hoc est & memorabile Nestoris dictum, & multò venustius quàm Cyclopica & Gygantea vox Aiacis, quem ad bel-

E P I S T O L A

lum Troianum profecturum, cum Telamon pater senex & sapiens monuisset, ut à Deo successus in prælijs peteret, ferociter respondit Ajax: Ignavos DEO iuvante, se vero sine DEO vincere posse. Cyclopi hanc vocem, & mendacem esse, omnes sani intelligunt, & calamitates, hanc efferam temeritatem & arrogantiam insecute, satis ostendunt, hunc Cyclopem & ope diuina indignisse, & ea destitutum, ne seipsum quidem vincere potuisse.

Etsi autem crebrae sunt in sapientum Ethnicorum scriptis & precatioes, & ad precandum adhortationes: tamen veram DEI invocationem nec norunt, nec intelligunt, & tristissima dubitatio est in omnibus, sit ne invocatio eorum efficax aut irrita, ac sola Ecclesia amplectens scripta Prophetica & Apostolica incorrupta, veram invocationem habet & intelligit, & sola etiam discrimen verae & falsae invocationis omnium gentium ostendit. Quare quae sit Ecclesiae hac de re doctrina, diligenter & assidue cogitandum & considerandum est.

Vult

DEDICATORIA.

Vult DEVS se inuocari, vult se agnosci autorem & datorem omnium rerum, & hunc cultum ab omnibus hominib. postulat, sed ita se coli vult, sicut se patefecit in verbo & misso Filio, vult se discerni ab omnibus commenticijs numinibus, & idolis, ac se solum adorari per filium, nec tribui honorem suum sculptilibus, vt Propheta inquit. Ideo diligenter discernenda est vera Ecclesie inuocatio, ab impia aliarum gentium extra Ecclesiam inuocatione. Suntq; duae prae- cipuae differentiae, altera de essentia DEI, altera de voluntate. DEVS illustribus testimonijs se patefecit in Ecclesia, dato Eu- angelio & misso Filio, & vult nos de essen- tia sua indicare ex verbo, in quo testimo- nia ista recensentur, & non ex humanis imaginationibus. Ita autem se patefecit, quod sit aeternus Pater, Filius, & Spiritus sanctus, & quod non aliter agnosci nec inuo- cari velit, nisi per filium Mediatorem, sicut dicitur Ioan. 5. Qui non honorat Filiū, non honorat patrem. Et p̄missiones addit de sua voluntate, quod velit nos recipere et exaudi- re, per & propter Filium, cum ipsius fiducia



E P I S T O L A

ad eum accedimus, & petimus beneficia corporalia & spiritualia, sicut Christus ipse inquit: *Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Hunc igitur verum **D E V M** Patrem Domini nostri **I E S V C H R I S T I**, Ecclesia agnoscit & colit, & in inuocatione ad eum mentes dirigit, cogitat patefactiones diuinas, & simul tres personas intuetur, & fiducia Mediatoris alloquitur Deum, ac certò statuit, se recipi, & gemitus ac vota sua exaudiri propter Filium mirabili & inenarrabili consilio constitutum Mediatorem. Contrà verò Ethnici & atq; impij etsi dicunt se inuocare verum Deum conditorem cœli & terræ, tamen aberrant à vero Deo, cum negant hunc esse Deum qui se patefecit misso Filio, æternum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, & alloquitur aliud quiddam commenticium, quod non est verus & patefactus Deus, nec sciunt quid inuocent, qualis est Hecube inuocatio apud Euripidem:

Ω γῆς ὄχιμα καὶ πῖ γῆς ἔχων ἔδραν
ὅστις πῶτ' εἶσὺ δυσόπαστος εἶδεναι
Ζεὺς, εἴτ' ἀνάγκη φύσεως, εἴ τε νῦν βροτῶν

πορο-

DEDICATORIA.

ἄποστυξάμενος σε.

Id est :

O terra gubernator, cuius sedes est.

Quicumque tandem es, difficilis cognitu.

Iuppiter, aut natura necessitate aut men-
Caligine, adoro te. (tis humanae

Deinde etiam voluntatem Dei de remis-
sione peccatorum patefactam in promissione
& filio Mediatore ignorant, nec certo sta-
tuere possunt, se exaudiri & Deo cura esse,
imò ingruentibus calamitatibus & premen-
tibus, cum liberationem statim non experi-
untur, incidunt in desperationem, & à Deo
planè se derelictos, & spem nullam auxilij
diuini restare existimant, quemadmodum
Hecuba deus καὶ σὺ μὲν αὖτος se invocare ait.
Ita manent in perpetua dubitatione, ac fre-
munt aduersus Deum, & ruunt vel in Epi-
cureum contemptum Dei, vel in aternas de-
sperationes & blasphemias. Hoc discrimen
necesse est considerari, & separari nostram
inuocationem, ab omnium gentium, quæ ex-
tra Ecclesiam sunt inuocatione. Acquiesca-
mus in verbo & promissionibus, in quibus se
patefecit Deus, & extra illas metas non va-
gemur. Ut enim magnes semper septentriones

A 5

spectat,

E P I S T O L A

spectat, & ad polum directus est, Ita &
 mens nostra intueatur verbum & patefacti-
 ones in eo traditas, atque inde de essentia
 & voluntate Dei iudicet, & in verbo acqui-
 escat, & ad hunc Deum preces dirigat, qui
 se expresso verbo & exhibito Filio nobis a-
 peruit. Vult Deus inuocari, sed in nomine Fi-
 lii, vult & exaudire, sed eos tantum, qui fi-
 ducia Mediatoris ad eum accedunt. Consti-
 tute sunt ergo certa forma precationum, quae
 recitantes commonefaciunt de personis diui-
 nitatis, de Mediatore & de promissionibus,
 admonent etiam ingentis & inenarrabilis
 beneficii Dei, quod tam illustribus & certis
 testimonijs verbo suo & misso Filio I E S U
 C H R I S T O se patefecit, & quod velit sic
 agnosci ut se patefecit, et hos solos exaudire,
 ac recipere, qui hunc patefactum Deum in-
 uocant, & Mediatorem agnoscunt, atq; ita
 nostram inuocationem ab Ethnica, Turcica
 & aliarum gentium inuocatione discernant.
 Tales igitur formas in scriptis reuerendi viri
 D. Philippi Melanthonis praeceptoris no-
 stri obseruandissimi & carissimi iuuentuti
 propositas pro & bono studio collegi, ut con-
 sidera-

DEDICATORIA.

sideratione humanarum calamitatum, liberationum diuinarum ac beneficiorum mentem meam ad precationem ardentiorē excitarem, cumq; iudicaret preceptores, etiam alijs hunc meum laborem non ingratum aut inutilem fore, libenter eum iuuentuti communicauit. Tuæ verò Celsitudini illustriss. Princeps hunc tenuem quidem libellum, sed de rebus magnis agentem, & ad id, quod omnium difficilimum esse iudicauit antiquitas, precationes nempe, nos instruentem, dedicare visum est, propterea quod sciam, C. T. à teneris annis ad pietatem & timorem Dei diligenter institutam esse, & summa cum laude in studijs optimarum artium versari, & ad virtutem erudiri, à viro clarissimo et doctissimo Casparo Muleno, et exemplum pietatis & virtutum omnium insignne habuit C. T. inclitum parentem, cuius mortem tanquam nutriti Ecclesie & sapientissimi gubernatoris omnes boni dolent, & memoriam sapientie, pietatis, iusticie, moderationis, & virtutum reliquarum optimo & præstantissimo Principe dignarum omnis posteritas seruabit. Verè namque
talis

E P I S T O L A

*talis erat, quales Dauid reges & principes
 esse iubet, inquit: Et nunc reges intelligite,
 erudimini, qui iudicatis terram, seruite Do-
 mino in timore, & exultate ei cum tremore,
 Osculamini Filium, &c. Viderat Deum re-
 gna constituere, & eorum custodem esse, ac
 felicem esse gubernationem, consilia, actio-
 nes & euentus, Deo iuuante & auxiliante,
 hunc pacis autorem, datorem & conserua-
 torem esse, iudicauit. Itaq; in precationibus
 assiduus erat, & maximam partem tempo-
 ris matutini inuocationi, meditationi & le-
 ctioni sacrorum librorum tribuebat, & quia
 osculabatur Filium, at humaniter eum acci-
 prebat, Ecclesias & Scholas fonebat, se suosq;
 ac regnum quotidie ardenti precatione ipsi
 commendabat, vicissim ei osculum prae-
 buit filius, defendit eum, pacem gubernationi ip-
 sius tribuit, ac amantissimè complexum in
 hac vita, tandem etiam ad eternam beatitu-
 dinem, tanquam in amplexu suauis abduxit,
 ut mortem ne gustarit quidem, nec aliquam
 difficultatem itineris ipsius seu transitus ex
 hac vita, senserit, cum, ut ipse dixit in ago-
 ne ultimo, cum sibi adiunctum haberet, qui
 via,*

D E D I C A T O R I A .

via, veritas & vita ipsa est. Itaque letatur nunc in complexu & societate Filij Dei, omniumq; Angelorum, ac dulcissima oscula, sapientiam & leticiam inenarrabilem haurit à Filio D E I Domino nostro I E S U C H R I S T O , cui hospitium in hac vita præbuit, & cui sese, Ecclesiam & subditos assiduis precibus commendavit. In hoc exemplum inclyti & serenissimi regis parentis pijsimæ memoria, cum intuebitur C. T. magis sese ad preces & pietatem exuscitabit, & Filium osculando sibi deuinciet ac particeps fiet promissionum omnium præsentis vitæ & futuræ, ut Paulus loquitur, pietati adiun-ctarum. Deinde & hac nominis C. T. inscriptione commendare & celebrare C. T. & alijs pijs & bonis volui, clarissimi & de tota Ecclesia, & studijs optimè meriti viri D. Philippi Melanthonis, præceptoris nostri carissimi, fidelitatem & diligentiam, qua nos quasi bonus parens liberos suos verè paterno animo complectens erudit, ad pietatis amorem & sedulam inuocationem hortatur, docet precari, & modum orandi & inuocandi D E V M præscribit, orat nobiscum,

E P I S T O L A

biscum, ac communibus votis Ecclesiam & politias nos D E O commendare, & ab ipso defensionem, statum tranquillum, vitæ necessaria, & beneficia spiritualia & corporalia petere iubet, ut doctrine puritas seruetur incorrupta, & ex ore infantium quoque & lactentium laus D E I ad omnem posteritatem perficiatur. Amamus ergo & veneramur hunc virum meritò, & ut grati liberi curam istam, πατρίαν γὰρ νεοτρίαν patris nostri agnoscimus, nec quicquã sibilis istorum mouemur, qui ut serpentes in sinu tempore brumæ foti, postquam calorem senserunt, fouentem necare student, ut in veteri Epigrammate dicitur. Oro autem D E V M eternum Patrem Domini nostri I E S V C H R I S T I, ut inclitam & serenissimam Reginam matrem C. T. & sereniss. Regem Fridericum fratrem, Illustriss. Principem D. Magnum ac T. C. cum tota nobilissima familia vestra & inclitis regnis gubernet, regat, defendat, & omnes diu incolumes conseruet, A M E N. Vuitebergæ XXV. Martij, quo die scribitur Adam & Euam creatos esse ante an-

nos

DEDICATORIA.

nos 5521. Et quo die ante annos 1559.
ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, Et eodem die ante annos
1525. Dominus noster IESVS CHRIS-
TVS pro peccatis humani generis in cru-
ce victima factus est.

T. C.

Addictiss.

M. Lucas Backmeister
Luneburgensis.

Εὐχῆς ἀμύμον ἔδδεν ἔστιν ἐν βροτοῖς,
Πάσαισι γάρ τε φάρμακον νόσοις φέρει.
Εάν δ' ἐν πίεζῃ τίς σε συμφορὰ θεῶν
Εὐχῆ, ἀχραντον ἦτορ, ὡς κελύσατο,
Τηρῶν αἰεὶ μετὰ πίστεως εἰλικρινῆς,
Οὕτως δ' ἄρωγῆς, ἐλπιδῶντε, καὶ βίης,
Πὰρ κλίσεω χριστῷ πεποιθῶς τυγχάνοις.

Iohannes Cheselius F.

PRECA-



P R E C A T I O
 P R O B E N E F I C I I S S P I -
 R I T V A L I B V S E T
 corporalibus.



OMNIPOTENS, æterne & viue De-
 us, æterne Pater Domini nostri I E-
 S V C H R I S T I, qui te patefecisti im-
 mensa bonitate, & clamasti de filio tuo
 Domino nostro Iesu Christo, H V N C
 A V D I T E, conditor omnium rerum, &
 conseruator, & opitulator cum filio tuo
 coæterno Domino nostro Iesu Christo,
 regnante tecum & patefacto in Ierusalem,
 & Spiritu sancto tuo effuso in Apostolos,
 sapiens, bone, misericors, iudex & fortis,
 B qui

qui dixisti: Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. Et dixisti: inuoca me in die tribulationis, & eripiam te. Et, Effundam super domum Dauid spiritum gratiæ & precum, confiteor tibi me miserimum peccatorem multa peccata fecisse & habere, & doleo toto corde quod offendi te, miserere mei, remitte mihi omnia mea peccata, & iustifica me propter & per filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis & resuscitatum, quem voluisti pro nobis esse victimam, *in peccatis & iniquis*, & sanctifica, rege, iuuua, accende cor & animam meam Spiritu sancto tuo, vt te verè agnoscam & inuocem, tibi verè credam, gratias agam, & obediam, rege & serua Ecclesiam tuam, sicut promisisti, inquit: Hoc est foed⁹ meum cum eis, Spiritus meus qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent ab ore seminis tui in æternum. Semper luceat in nobis Euangelium tuum, & rege, & confirma corda nostra Spiritu sancto tuo, ne in furores Epicureos aut fanaticos ruant, serua & rege Ecclesiam tuam, & defende politias, quæ præbent hospitia Ecclesijs, adiuua studia discipulorum doctrinam Ecclesiæ, & alias honestas artes.

P R E-

PRECATIO AD FILIUM DEI DOMINUM nostrum Iesum Christum.



O Mnipotens Domine Iesu Christe, fili Dei viui, crucifixe pro nobis & resuscitate, qui regnas ad dexteram Patris, vt des dona hominibus, & constitutus es interpellator pro nobis, & dixisti: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, miserere mei, & intercede pro me apud æternum Patrem tuum, & sanctifica me Spiritu sancto tuo, sicut promisisti, inquit: Non relinqvã vos orphanos.

B 2

PRE-

P R E C A T I O A D S P I -
R I T V M S A N C T V M .

Omnipotens Spiritus sancte, procedens
 ab æterno Patre & Filio, effuse in A-
 postolos, quem promisit nobis filius Dei,
 redemptor noster, vt accendat in nobis
 veram agnitionem & inuocationem Dei,
 sicut scriptum est: Effundam super vos
 Spiritum gratiæ & precum, exuscita in
 cordibus nostris verum timorem Dei, ve-
 ram fidem & agnitionem misericordiæ,
 quam nobis æternus Pater Domini nostri
I E S U C H R I S T I, propter Filium pro-
 misit, sis nobis Paracletus in omnib. con-
 silijs & periculis, & accende mentes no-
 stras

P R E C A T I O N E S. 5

stras, vt vera obedientia, Patrem Domini nostri IESV CHRISTI, & Filium eius redemptorem nostrum, & te perpetuo celebremus, A M E N.

P R E C A T I O E T G R A T I A R V M A C T I O I N S V M P T I O N E c o r p o r i s & s a n g u i n i s D o m i n i.



O Mnipotens Deus, æterne Pater Domini nostri Iesu Christi, conditor omnium rerum, & conseruator cum Filio tuo coæterno, Domino nostro Iesu Christo, & Spiritu sancto tuo, miserere mei propter IESVM CHRISTVM filium tuum, quem mirando & inenarrabili con-

B 3

filio

6 P R E C A T I O N E S .

filio voluisti pro nobis fieri victimam , ac simul ostendisti iram tuam aduersus peccatum , & immensam misericordiam tuam erga genus humanum , sanctifica , rege & iuuua me Spiritu sancto tuo , rege & serua Ecclesiam tuam , & politias , quæ sunt hospitia Ecclesiarum.

Gratias etiam ago tibi omnipotens Deus , æterne Pater Domini nostri Iesu Christi , conditor omnium rerum , & conseruator cum Filio tuo coæterno Domino nostro Iesu Christo , & Spiritu sancto tuo , quod te immensa bonitate patefecisti Ecclesiæ tuæ , & Filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum misisti , vt pro nobis victima fieret , & per eum nobis donaretur remissio peccatorum , & vita æterna , & quod hæc tua immensa beneficia per Euangelium & Sacramenta tua nobis impertis , & Euangelij ministerium & Ecclesiam seruas , nec deleri sinis. Vtinam grati ardenti pectore possimus hanc tantam bonitatem tuam , & ingentia beneficia considerare & celebrare. Sed te oro , vt accendas nos Spiritu sancto tuo , vt veræ sint gratæ mentes , & luceat in moribus nostris gratitudo.

Tibi

Tibi etiam IESU CHRISTE, fili Dei, crucifixe pro nobis & resuscitate, ago gratias, quod ingenti amore erga nos, intercessisti apud æternum Patrem pro genere humano, & factus es victima pro nobis, & in te deriuasti iram Dei aduersus nostra peccata: Accende corda nostra, vt hoc ingens beneficium tuum magis intelligamus, & vera gratitudine celebremus, Amen.

PRECATIO AD FILIUM DEI, PRO DEFENSIONE à Diaboli insidijs.



TE inuoco IESU CHRISTE fili Dei viui, crucifixe pro nobis & resuscitate,

8 P R E C A T I O N E S .

λόγε καὶ εἰκὼν αἰδῖς πατρὸς, qui dixisti: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, ego reficiam vos, miserere mei, & intercede pro me apud æternum Patrem tuum, sanctifica & rege me Spiritu sancto tuo, defende me aduersus Diabolos, spiritus mendaces & homicidas, hostes tuos.

GRATIARVM ACTIO
PRO BENEFICIIS SPIRITUALIBUS & CORPORALIBUS.



A Go tibi gratias omnipotens, æterne & viue Deus, æterne Pater Domini nostri Iesu Christi, conditor omnium rerum & conseruator ac opitulator, cum fi-
lio

lio tuo coæterno, Domino nostro **I E S U**
C H R I S T O, patefacto in Ierusalem, &
 Spiritu sancto tuo effuso in Apostolos,
 quod te patefecisti nobis immensa boni-
 tate, certis & illustribus testimonijs, &
 quod condidisti & elegisti tibi Ecclesiam
 perpetuam, & voluisti filium tuum **D o-**
minum nostrum I E S U M C H R I S T U M
 pro nobis fieri victimam, dedisti nobis
 Euangelium tuum, & Spiritum sanctum,
 remittis nobis peccata, & liberas nos à
 potestate Diaboli, & à morte æterna, &
 das nobis vitam æternam, & hætenus in
 hac vita me multis magnis beneficijs do-
 nasti, dedisti vitam, victum, doctrinam,
 pacem ijs locis, in quibus vixi, & miti-
 gasti pœnas, quas meritus sum.

A G O tibi gratias etiam Domine **I E-**
S U C H R I S T E, crucifixe pro nobis &
 resuscitate, Emanuel, quod copulasti tibi
 humanam naturam, passus es pro nobis
 & resurrexisti, ac redemisti nos, seruas
 ac defendis Ecclesiam contra Diabolos
 hostes tuos, & das & instauras sæpe lu-
 cem Euangelij, remittis nobis peccata, &
 das nobis vitam æternam, & es Mediator
 & interpellator pro nobis assiduus, & vis
 nobis

IO P R E C A T I O N E S.

nobis opitulari, sicut dixisti: Venite ad
me omnes, qui laboratis & onerati estis,
ego reficiam vos.

Ago etiam tibi gratias Spiritus sancte,
viuificator, effuse in Apostolos, quod
accendis lucem tuam in nostris mentibus,
regis, doces, mones & iuuas me consilio,
gubernas labores vocationis meæ, &
sanctificas me ad vitam
æternam.



O · R · A ·

PRECATIONES. II


ORATIO DOMINICA
BREUITER EXPLICATA,
ita, vt formam precationis
retineat:



OMNIPOTENS, æterne & viue De-
us, æterne Pater Domini nostri Ie-
sv CHRISTI, qui te patefecisti im-
mensa bonitate, & clamasti de filio tuo
Domino nostro Iesu Christo, HUNC
AVDITE, conditor omnium rerum, &
conseruator cum filio tuo coæterno Do-
mino nostro Iesu Christo, regnante tecum
& patefacto in Ierusalem, & Spiritu sancto
tuo effuso in Apostolos, sapiens, bone, mi-
sericors, iudex & fortis, Pater noster, qui es
in cœ-

12 P R E C A T I O N E S.

in cœlis, qui ades vbique, vbique respicis & exaudis, qui placatus nobis es per Filium, & hoc sacerdote perferente, nostras preces recipis.



Sanctificetur nomen tuum.

E F F I C E, vt verè agnoscaris, vt vera doceantur, per quæ gloria tua verè patefiat, vt te rectè inuocent, & colant homines, fac, vt vox Euangelij verè & latè spargatur, & rectè accipiatur, & vt multi homines vera inuocatione & obedientia **D E V' M** celebrent.

Adue-



Adueniat regnum tuum.

S P A R S A Euangelij voce, regas etiam nos Spiritu sancto tuo, effice vt verbo tuo credamus, inchoa in nobis regnum tuum, vt fiamus hæredes regni tui, & destruas regnum Diaboli, horribiliter grassantis in genere humano, & passim homines impellentis ad Epicureum Dei contemptum, aut colenda idola, scelerata homicidia, libidines, mendacia & alios furores. Aduersus hæc mala, defende nos æterne pater Domini nostri Iesu Christi, & rege nos Spiritu sancto tuo, sicut dixisti: Effundam de Spiritu meo.

Fiat



*Flat voluntas tua, sicut in caelo &
in terra.*

DA vt omnes obediant tibi in terra,
da vt pastores Ecclesiae, reges, magistra-
tus, Doctores, discipuli, ciues, suo loco
singuli officium suum recte & fideliter fa-
ciant, ac omnes tibi obediant, sicut An-
geli in caelo tibi obediant, ac placent ti-
bi: tuum opus est efficere, vt nos mise-
ri, stulti, infirmi, res geramus bonas &
salutares, simus organa non irae sed mise-
ricordiae, simus vtilis Ecclesiae, non simus
pestes καὶ ἀλάστορες. Politia Ezechiae fe-
lix est, te iuuante. Politia Sedechiae infe-
lix est, quia te adiutorem repellit. Nos
non

non repellimus te, sed vero pectore, veris lacrymis oramus, vt nostras Ecclesias, Doctores, Scholas, Principes, Gubernatores, populum regas, vt aliqua fiant tibi grata, Tu es, qui efficis, vt velimus, efficies etiam vt perficiamus, vt aliqua tibi grata fiant. Nam diabolus & homines impij magno furore student ingrata tibi facere, confirmant Epicureos furores, idola, libidines, accendunt iniusta bella, efficiunt tristissimas vastitates. Sed ne totum genus humanum frustra conditum sit, ne omnes ingrata Deo faciant, tu Ecclesiam vocasti, & Spiritu sancto tuo trahis, vt bona & grata Deo faciat, sonet veram de Deo doctrinam, audiat, recte inuocet te, gratias tibi agat, & obediat tibi, multos feliciter abstrahat a Diabolo, pijs & salutaribus consilijs regat alios, tueatur pacem & honestam disciplinam, & in sua quisq; vocatione seu functione, officium suum rite & feliciter faciat.



Panem



*Panem nostrum quotidianum da
nobis hodie.*

DA victum, pacem, defensionem, bonam valetudinem, vt labores vocationum perferre possimus, successum in rebus gerendis iuxta vocationem, liberorum educationem, mediocrem tranquillitatem, hospitia, politias honestas, disciplinæ, iuris & iudiciorum custodes, & non dissipatas seditionibus, laxatione disciplinæ, aut bellis.



Remitte



Remitte nobis debita nostra.

CONFITEMUR & agnoscimus nos circumferre peccata & multiplicem infirmitatem. Si enim diceremus, nos non habere peccata, ipsi nos seduceremus, & veritas in nobis non esset. Ideoque obstrepit nobis indignitas nostra, ac deterret nos à te, Deus, ut trepidæ mentes fugiant te. Sed quia confitemur peccata nostra, fidelis es & iustus, ut remittas nobis peccata nostra, & quia iubes nos petere remissionem, haud dubie eam petentibus propter mediatorem Christum dabis. Per hunc enim recipi nos & exaudiri credimus, scimus hunc sacerdotem pro nobis

C

inter-

te

interpellare, & hac fiducia ad thronum gratiæ accedimus. Vis autem & nos remittere debitoribus nostris, vis nos agere pœnitentiã, & non perseverare in delictis contra conscientiam, non vis mentem retinere contemptum Dei, nec tales peccatores exaudis. Non enim placent tibi ceremoniæ & preces eorum, qui perseverant in peccatis contra conscientiam. Ideo vis nos excitari ad pœnitentiã, & emendare mores.



Et ne nos inducas in tentationem.

I D E S T, ne finas nos pertrahi à diabolo ad impietatem & ad alia scelera, defende nos contra diaboli insidias, rege nos
tua

tua luce, tuis consilijs, nec sinas nos rueri deceptos nostris erroribus, aut impulsos imbecillitate carnis. Magna & admiranda sapientia & virtus fuit Davidis, hunc tamen videmus aliquoties impulsus, aliàs à diabolo, aliàs humanis erroribus rueri. Cum igitur magna sit infirmitas omnium, tu nos æterne Pater Domini nostri Iesu Christi rege, & ostende nobis salutaria consilia in priuatis & publicis negocijs, & confirma corda nostra Spiritu sancto tuo, vt tibi obtemperent, vt simus non organa iræ, sed organa misericordiæ, & vtilia Ecclesiæ. Postremo.



Liberà nos à malo.

AB omnibus miserijs & ærumnis huius
C 2 vitæ,

20 P R E C A T I O N E S .

vitæ, à peccatis, à tyrannide Diaboli, à scandalis, à calamitatibus publicis & priuatis, vt videlicet cum vniuersa Ecclesia, erepta ex præsentibus miserijs, donemur luce, iusticia & vita æterna, & fruamur dulcissima consuetudine Dei æterni, & Domini nostri Iesu Christi, Amen.

C O N F E S S I O P E C C A -
T O R V M C O R A M D E O .



O M N I P O T E N S , æterne & vere De-
us, æterne pater Domini nostri I E S U
C H R I S T I , qui te patefecisti immensa
bonitate, & clamasti de Filio tuo Domi-
no nostro Iesu Christo : H V N C A V D I -
T E ,

TE, creator cœli & terræ, & Ecclesiæ
 Angelicæ & humanæ, vnâ cum Filio tuo
 coæterno, Domino nostro Iesu Christo,
 crucifixo pro nobis & resuscitato, qui est
 Imago tua & λόγος ad Ecclesiam missus:
 Et cum Spiritu sancto tuo, sapiens, verax,
 bone, iuste, iudex, misericors, caste & li-
 berrime, qui dixisti: Viuo ego, nolo mor-
 tem peccatoris, sed vt conuertatur & vi-
 uat. Item: Inuoca me in die tribulatio-
 nis, eripiam te & glorificabis me. Item:
 Effundam super domum Dauid, spiritum
 gratiæ & precum, confiteor tibi, me mi-
 ferrimum peccatorem horribiliter peccas-
 se, & doleo toto corde, quod offendi te,
 Miserere mei, & exaudi me, & iustifica me,
 per & propter Filium tuum Dominum
 nostrum **I E S V M C H R I S T V M**, cru-
 cifixum pro nobis, & resuscitatum, λόγος
 καὶ εἰκόνα τοῦ ἀίδιου, quem voluisti pro nobis
 esse victimam καὶ μεσίτην καὶ ἱκέτην, & san-
 ctifica me Spiritu sancto
 tuo.



C 3

CON-

à
i-
a,
ir
ir
&

e-
v
na
ni-
I-
E,



C O N F E S S I O P E C C A -
T O R V M I V X T A O R D I -
nem Decalogi, coram mi-
nistro Ecclesiæ.

D E P R I M O P R A E -
C E P T O.



D E B E R E M equidem rectè cogitare
de Deo, & firma fide statuere, hunc vnum
esse Deum, creatorem omnium hominũ,
qui se patefecit dato verbo suo & misso fi-
lio, deberem vero timore ei obedire, &
metuere iram eius & iudicium, vera fide
eum invocare propter filium, & diligere
eum,

eum, & sentire aliquem grati pectoris motum erga Deum.

Deberem affici magnitudine misericordiae, quod se nobis patefecit, quod vere diligit genus humanum, vere vult nos saluos fieri, deberem filij beneficijs moueri, quod pro nobis passus est, quod dedit Euangelium, quod promittit Spiritum sanctum gubernatorem, & vitam aeternam.

Sed haec omnia leuius mouent animum meum, quam debebat fieri, non satis timeo, saepe dubito, & quadam perpetua dubitatione frigidus peto bona à Deo, frigidus inuoco, confido interim rebus praesentibus, & quaero praesidia vitae, neglecto ordine, quem Deus praecipit. Saepe etiam falsa inuocatione errans offendi Deum, inuocaui homines mortuos, putauit magis ad hanc statuam inuocandum esse Deum aut sanctum, quam alibi. Saepe nunc quoque aberro, ne cogitem de vero Deo, qui se patefecit per Filium, ne cogitem de Filio, & de promissione, denique non ardeo in inuocatione,
vt oportet.

D E S E C V N D O P R A E -
C E P T O .

D E B E R E M Euangelium diligenter
discere, celebrare sermone, & ornare ex-
emplis, agnosco autem meam negligentiam
hac in re: imo sæpe prætexo priuatæ
cupiditati Euangelium. Sæpe meis exem-
plis & scandalis præbeo occasionem alijs
maledicendi Euangelio, aut alieno ali-
quos. Interdum erravi in alieno dogma-
te, & eo errore deformavi doctri-
nam cœlestem.



D E

D E T E R T I O P R Æ -
C E P T O .

S Æ P E negligo publicas conciones & ceremonias in die festo, non impeditus alijs causis, & meo exemplo alios abduco, non ago gratias D E O pro instituto ministerio, pro conseruatione Ecclesiæ, pro conseruatione Prophetorum & Apostolicorum scriptorum, non adiuuo Ecclesiam precantem pro publico statu in cœtu, nimis leuiter afficior cura miseriarum communium, quod inscitia, bellis, discordijs dissipantur Ecclesiæ & politiæ, & multorum animæ & corpora pereunt, non adiuuo ipse ministerium Ecclesiasti-

C 5

cum

cum meis officijs, non veneror vt debeo
 pios ministros, interdum eis maledico, &
 meo exemplo confirmo contemptum aut
 odium eorum, non soluo eis debitas mer-
 cedes: Sæpe dies festos male colloco in
 res turpes, & irrito Deum aduersus mul-
 tos.

D E Q V A R T O.



S V M negligens in mea vocatione, in
 studio, in regenda familia, sum ingratus
 Deo pro beneficijs ordinis politici, inter-
 dum irascor iniuste magistratibus, & ma-
 ledico eis, nec tribuo eis debitam reue-
 rentiam ex animo, interdum rixas excito
 contra leges, & violo politicum ordinem
 cum

cum scandalo & aliorum detrimento, meis stultis tumultibus impedio alia publica negocia necessaria, non sum intentus, vt in meo ordine me coërceam, & caueam, ne turbem communem harmoniam publici status, sum *πλεονεκευκός*, & meæ vtilitati magis seruió, quàm publicæ, aut capto occasione turbandi.

D. E Q V I N T O.



SÆPÊ incendor iniusta indignatione & cupiditate vindictæ, addo malas execrationes, quæ ex cupiditate nocendi erumpunt, moueor æmulatione, doleo alterius potentiam aut autoritatẽ crescere, & premere eum cupio. Sum superbus, despicio

spicio pares, & me eis anteferri postulo. Sum suspicax, & ex falsis suspicionibus interdum iniusta odia concipio, sero & confirmo discordias, sæpe perfero rumores & sermones, qui sauciant animos & accedunt odia, habeo aliquid liuoris & malevolentiaë, delector obtrectatione, interdum calumniosè deprauo aliena dicta & facta, non studeo sanare offensiones & conciliare voluntates, sino crescere odia priuato liuore vel alia priuata causa, maledico absentibus, interdum afficio contumelia præsentibus, impedio inuocationem meam & aliorum, excitatis odijs aut dissidijs.



DE

D E S E X T O.



H A B E O errantes motus & flammæ
 varias libidinum, indulgeo oculis & cogi-
 tationibus impudicis, contaminatur &
 corpus. Hæc mala augeo intemperantia
 & crapula. His incendijs & crapulæ fasti-
 dijs impedio pias meditationes & preca-
 tiones, & accerso beluinam feritatem, cu-
 mulo mea impuritate iram Dei ad-
 uersus me, meam familiam
 & ciuitatem.



D E



F R V O R liberalitate parentum aut sti-
 pendio publico, & non bene colloco, de-
 fraudo meos fratres aut alios pauperes,
 sum iniustus in contractibus, non studeo
 propter Deum seruare æqualitatem, ma-
 lignè soluo debita precia, exerceo aucu-
 pia pecuniæ quærendæ iniusta, sumo mu-
 tuum varijs prætextibus, ac ne curo qui-
 dem soluere, retineo res alienas, non sum
 fidelis & diligens in mandato labo-
 re, res vitiosas vendo, res loca-
 tas corrumpo.

D E

DE OCTAVO.



NON præsto candorem & veritatem. quam Deus requirit in dictis & in factis, admisceo sophisticam consilijs & negocijs, aut doctrinæ, interdum propugno falsa ex odio, iracundia aut iniusta pertinacia, aut adulatione aut metu. In moribus etiam est hypocrisis, simulatio virtutis & falsa instantia.

Deniq; agnosco me miserum in hac cœcitate & securitate, horribiliter negligere iram Dei, & multis modis aberrare ab ei⁹ præceptis, ac multis scandalis alios lædere, & accersere mihi & alijs pœnas, nec posse me magnitudinem aut multitudinem meorum

meorum vitiorum aut lapsuum intelligere, sed fateor me meritum esse præsentis & æternas pœnas, ac vero dolore clamo: Tibi tantum sum peccator, coram te male feci, vt iustificeris, &c. Verè doleo DEVM à me offensum esse, & lædi ac pollui Ecclesiam, & reliquum genus humanum, & confugio ad Filium Dei, Dominum nostrum IESVM CHRISTVM propiciatorem, propter hunc oro, vt Deus æternus Pater Domini nostri IESV CHRISTI, bonus, sapiens, iudex & fortis, iram suam à me auertat, & mihi peccata remittat propter Filium, & me sua immensa misericordia recipiat, sicut dixit: Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Ac polliceor me repugnaturum esse peccato, & nihil facturum esse contra conscientiam, & oro DEVM, vt me regat Spiritu sancto suo, & à vobis tanquam ministro Ecclesiæ peto, vt vocem Euangelij mihi annuncietis, cui credo, & simul Ecclesiæ promitto, me mores emendaturum esse, & scandala vitaturum.

O R A -

ORATIO ECCLESIAE
EXVLANTIS AD DE-
um Patrem.

OMNIPOTENS, æterne & viue
DEVS, æterne Pater Domini nostri
Iesu Christi, qui te immensa bonitate no-
bis creaturis tuis patefecisti, & tuam arca-
nam voluntatem erga nos, tuumque mi-
randum & inenarrabile confilium de libe-
ratione generis humani, & restauratione
naturæ eiusdem, per lapsum Adæ depra-
uatæ, ante mundi constitutionem apud te
admirando modo conclusum, per vocem
sonantem in Paradiso, & propagationem
verbi tui sancti, & donationem Filij tui,
ex sinu tuo missi, copiosè declarasti, & qui
de Filio tuo Domino nostro Iesu Christo,
de cœlo clara & salutari voce clamasti:
Hic est Filius meus dilectus, in quo ego
delector, Hunc audite, Creator, Redem-
tor & Opitulatur omnium rerum, cum
Filio tuo Domino nostro Iesu Christo,
qui tecum æquali potentia regnat, & qui
se patefecit in Hierusalem, docendo po-
pulum, & edendis multis magnis & mi-
randis miraculis, Et Spiritu sancto tuo ef-
fuso in Apostolos, sapiens, bone, miseri-
cors,

D

cors,

cors, iudex & fortis, qui dixisti: Viuo ego,
 nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur
 & viuat. Et qui per os Dauid serui tui
 locutus es: Inuoca me in die tribulationis
 tuæ, & ego eripiam te, & glorificabis me,
 Miserere mei, & membrorum meorum,
 remitte mihi & illis omnia peccata nostra,
 vel per negligentiam vel ignorantiam, vel
 omissionem, vel commissionem, aut *πο-*
λυπταγμοσύνω, vt est natura humana imbeci-
 llis & labilis nimium, commissa, propter
 Filium tuum Dominum nostrum Iesum
 Christum, quem voluisti pro nobis omni-
 bus esse victimam, *λύτρον, μεσίτην, κέλευσιν καὶ*
ἀρχιερίαν, mirabili & inenarrabili consilio,
 vt iram tuam veram & ingentem, aduer-
 sus peccata generis humani, & immensam
 misericordiam declarares, Et sanctifica,
 rege, & restitue Scholas, quæ sunt the-
 saurus Ecclesiæ tuæ, & collige Ecclesiæ
 tuæ ministros, & reliqua membra, quæ
 quasi venti in orbe terrarum sparsim dissi-
 pata exulant, & prostrata coram pedibus
 tuis misere iacent, Et opera, quæ per ea
 admiranda & salutaria in politijs, & Ec-
 clesia tua iam deficiente & senescente, à te
 præparata, inchoasti & adiuuisti, adau-
 ge & in eis perfice, & tolle omnia scanda-
 la in

la in Ecclesia tua, reprime impietatem Mahometicam, & omnes omnium aliarum sectarum errores, iuua & accende corda & animos nostros Spiritu sancto tuo, in agnitione & inuocatione tui, Accende etiam in membris Ecclesiæ tuæ lumen Euangelij, & lucem verbi tui, & rege corda eorum Spiritu sancto tuo, ne in furores Epicureos, aut fanaticos errores ruant. Et da illis Spiritum firmum, rectum, non fugientem certamina & pericula confessionis, non dubitantem, non Epicureum, nec pectus *σκαπλινόν*, quāle habent homines ludentes ex opinionibus, & quouis vento doctrinæ fluctuantes. Rege & confirma Spiritu sancto tuo, mentes omnium Principum, qui sunt, & te volente & adiuuante deinceps erunt nutrices Ecclesiæ tuæ, & inclina corda summorum gubernatorum, ad salutarem politijs gubernationem, præbentibus nidum & hospitium sponsæ Filij tui, Domini nostri

I E S U C H R I S T I, & restitue pacem piam, & omnibus imperij statibus, & cunctorum ordinum hominib. salutarem, & consolare afflictos & captiuos omnes verbo & Spiritu sancto tuo, & flecte illorum mentes ad veram inuocationem tui,

D 2

& ad

& ad bonos fructus pœnitentiæ, & ale & defende eos. Et cum omnia facias in Ecclesia tua salutaria, sis in membris Ecclesiæ tuæ, iam exulantis, efficax, fac organa ex eis salutaria & vtilia politijs, vasa misericordiæ, non iræ & damnationis instrumenta, non perniciofa & exitialia Ecclesiæ tuæ, sed fac eos vasa misericordiæ & gratiæ, Et da nobis omnibus petentibus Spiritum sanctum, qui compescat & frenet in nobis cupiditates prauas, & regat mentes & actiones nostras, vt in vera agnitione & inuocatione tui, tibi Deo patri Domini nostri Iesu Christi, ex vero & toto corde, iuxta datam primis parentibus nostris promissionem, editam in Paradiso, & promulgatam per Prophetas, & ante annos 1552. in Ierusalem impletam, seruiamus & salutaria faciamus, Et sanctifica nos omnes ad vitam æternam, quam nos, cum creaturis omnibus, quæ simul inobiscum congemiscunt, & parturiunt, deuotis precib. ardentè, & quotidie speramus & expectamus, Amen.



GRA-

GRATIARVM ACTIO
AD ÆTERNVM PATREM.



OMnipotens, æterne, viue, & vere De-
us, æterne Pater domini nostri IESU
CHRISTI, creator cœli & terræ, & ho-
minum, & omnium creaturarum, & con-
seruator, dator vitæ, legis, & sapientiæ, &
opitulator, vnâ cum Filio tuo coæterno,
Domino nostro Iesu Christo, *λόγω κ̅ εἰκό-
νι σ̅ ἀϊδίῳ*, Et Spiritu sancto tuo, effuso in
Apostolos, casto & veraci, sapiens, bo-
ne, verax, iuste iudex, misericors, caste,
liberrime, tibi gratias ago, quod reuelasti
te nobis, quod misisti Filium, & voluisti
eum assumere humanam naturam, inenar-

D 3 rabili

rabili sapientia & bonitate, & fieri victimam pro nobis, qui colligis æternam Ecclesiam, & quod inter nos colligis, seruas ministerium Euangelij, das Spiritum sanctum & vitam æternam, & quod das nobis bona corpori nostro necessaria, & mitigas ac tollis pœnas, denique pro omnibus beneficijs animæ & corporis, &c.

A D Æ T E R N V M
F I L I V M.



À Go tibi gratias, omnipotens fili Dei,
Domine I E S V C H R I S T E,
Verbum & imago æterni Patris, crucifixe
pro

pro nobis & resuscitate, nate ex virgine,
 Emanuel, sedens ad dexteram æterni pa-
 tris, colligens & seruans æternam Eccle-
 siam voce Euangelij, quod patefecisti no-
 bis æterni Patris misericordiam, & de-
 cretum de redemptione, & semper colle-
 gisti Ecclesiam, & assumpsisti humanam
 naturam, es Mediator, Redemptor, Iusti-
 ficator & Saluator, & summus Sacerdos,
 semper intercedens pro nobis, dans vo-
 cem Euangelij, & es efficax per eam, &
 das remissionem peccatorum, & es Rex,
 colligens, seruans & protegens Ecclesi-
 am, & das Spiritum sanctum ijs, qui ad
 te conuertuntur, & Euangelij voce se su-
 stentant, & restituens in nobis iusticiam
 & vitam æternam, das lucem in consilijs,
 intellectum verbi tui, depellis diabo-
 los, das etiam bona corpori
 necessaria, &c.



D. 4

Ad

A D S P I R I T V M
S A N C T V M.

AGo tibi gratias omnipotens, verax,
caste Spiritus sancte, procedens ab æ-
terno Patre & Filio, Domino nostro Ie-
su Christo, effuse in Apostolos, quod
confirmas corda nostra, vt firmiter assen-
tiantur verbo Dei, & flectis ea ad inuo-
cationem Dei, & ad omnes motus legi-
diuinæ congruentes, & lætificas ea, vt
acquiescant in Deo, petant & expe-
ctent omnia beneficia Dei. Das
etiam bona corpori ne-
cessaria, &c.

P R E-

PRECATIO AD DEVM
 PATREM PRO REMISSIO-
 ne peccatorum & alijs beneficijs spiri-
 tualibus & corporalibus.

OMNIPOTENS, vere Deus, æter-
 ne Pater Domini nostri Iesu Christi,
 qui cum Filio tuo coæterno Domino no-
 stro Iesu Christo, creator es omnium re-
 rum, & certo tibi colligis æternam Eccle-
 siam per Filium tuum vnigenitum, voce
 Euangelij, & non aliter, ego miser pecca-
 tor, confiteor tibi, me multis peccatis,
 manifestis & ignotis grauissime te offen-
 disse, ideoq; ex animo doleo, ac rogo, vt
 mihi omnia peccata mea, errores, omisso-
 nes, scandala, clementer condonare velis
 propter Filium tuum Dominum nostrum
 Iesum Christum, quem *propter nos & in nos*
 constituisti, vt me propter & per ipsum
 iusticia & vita æterna dones, ac regas me
 Spiritu tuo sancto, & æternam Ecclesiam
 tibi in his regionib. semper colligas, eam-
 que defendas, doceas, ac luce tua guber-
 nes, & contra Diabolos protegas, ac er-
 rores, hæreses ac sycophantias ab ea de-
 pellas: Des etiam bona corporalia & hu-
 ius vitæ necessaria, fœcundes terram, &

D S magni-

magistratus salutare ac pacem tribuas, Regas ac gubernes nostrum quoque magistratum Spiritu sancto & verbo tuo, reprimas, euertas ac tollas omnia Mahometica, Turcica & Papistica idola & Tyrannidem, potenti manu tua, & me cum familia mea clementer protegas ac gubernes, & facias nos omnes organa gratiæ & misericordiæ, & non iræ, vt te in omni æternitate celebremus, tibi que gratias agamus A M E N.

A D D E V M F I L I V M.

OMnipotens Domine I E S V C H R I S T E, æterni Patris fili, qui ab initio humani generis, ad Ecclesiam inenarrabili misericordia missus es, & humanam naturam in Maria virgine assumpsisti, & constitutus es à Patre Mediator, Redemptor, Iustificator, & Saluator, & colligis tibi æternam Ecclesiam per vocem Euangelij, cui dones iusticiam & vitam æternam gratis, absque vlla dignitate aut meritis, & dixisti: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, miserere mei, & intercede pro me apud æternum

æternum Patrem, & sanctifica me Spiritu
 sancto tuo, collige tibi æternam Ecclesiam
 in his regionibus, & nos, vnà cum æter-
 no Patre & Spiritu sancto rege & defen-
 de. Confiteor aduersus diabolos, Maho-
 metistas, & omnes blasphemos, quod tu
 Domine IESV CHRISTE verus Dei
 filius, & omnipotens sis, & quod huma-
 nam carnem assumeris, ne hac misera na-
 tura prorsus deleretur & interiret, sed vt
 nos membra tua & vitæ æternæ hæredes
 efficeremur, sicut inquis: Ego sum vitis,
 vos palmites, Sis in nobis efficax, vt ve-
 ra fide te inuocemus, ac membra tua fia-
 mus, in quibus ipse luceas, & voce Euan-
 gelij veram Dei agnitionem in cordibus
 nostris prædices & exuscites, & confirmes
 nos Spiritu sancto tuo in vera fide et in-
 uocatione Dei, et obedientia Deo pla-
 cente, sicut dixisti: Sine me nihil
 potestis facere.



GRA-

GRATIARVM ACTIO
 PRO BENEFICIIS DIVI-
 nis, collectione & conseruatione
 Ecclesiae.

OMnipotens, vere & æterne Deus, Pa-
 ter Domini nostri Iesu Christi, condi-
 tor omnium rerum vnà cum Filio tuo co-
 æterno Iesu Christo, & Spiritu sancto,
 colligens æternam Ecclesiam prædicatio-
 ne Euangelij per Filium, ago tibi gratias
 toto pectore, quod generi humano te pa-
 tefecisti misso Filio, & reuelasti sapientiam
 tuam ineffabilem, Legem & Euangelium,
 & colligis tibi æternam Ecclesiam, ac nos
 ad veram noticiam verbi tui, & ad socie-
 tatem Ecclesiae vocas, & das nobis remis-
 sionem omnium peccatorum, iusticiam &
 vitam æternam gratis, propter Filium tu-
 um Dominum nostrum Iesum Christum,
 das etiam bona corporalia, vt honesti &
 pij cœtus conseruari possint, & mitigas
 poenas nimium meritas. Pro his & omni-
 bus alijs beneficijs ac donis tuis, gratias ti-
 bi ago, agnosco & fateor, omnem dona-
 tionem bonam, tuum opus esse, & ex in-
 enarrabili misericordia, propter Filium
 tuum **I E S V M C H R I S T V M** nobis dari,
 ac di-

ac̄ dico cum Iacob: Minor sum cunctis
 miserationibus & beneficijs tuis, quę quo-
 tidie mihi exhibes. Oro te, vt deinceps
 quoque propitius mihi esse velis, vt tibi in
 omni æternitate gratias agam, & te cele-
 brem, Amen.

PRECATIO PRO DO-
 NO SPIRITVS SANCTI.



ÆTerne Deus, Pater Domini nostri
 Iesu Christi, conditor cœli & terræ
 & hominum, & Ecclesiæ tuæ, vnà cum
 Filio tuo & Spiritu sancto, te supplices o-
 ramus, vt propter Filium tuum dominum
 nostrum Iesum Christum, quem voluisti
 pro

pro nobis esse victimam *ὡς μυστήριον ἡ ἰκέρτω*,
 nostri miserearis, ac Spiritu tuo sancto
 nos tibi copules, & in nobis veram lucem
 & iusticiam accendas. Liberalitas tua im-
 mensa in dando munere Spiritus sancti,
 Filij dicto celebrata est, quod ostendit,
 quam auide cupias nobis opem adferre,
 cum ait: Quanto magis Pater vester cœ-
 lestis dabit Spiritum sanctum petentibus.
 Tu vis peti hoc munus, & petentibus af-
 firmas te auidè daturum esse, Speramus
 igitur nostra vota exaudiri.

G R A T I A R V M A C T I O
 P R O C V S T O D I A A N G E -
 lorum, & precatio, vt conseruentur Scho-
 læ & cœtus docentium & discen-
 tium in Ecclesia.

G R A T I A S agimus tibi omnipotens Deus,
 æterne & vnice pater Domini nostri
 Iesu Christi, conditor cœli & terræ, & ho-
 minum & Ecclesiæ tuæ, vnà cum filio tuo
 Domino nostro Iesu Christo, & Spiritu
 sancto, sapiens, verax, benefice, iuste, mi-
 sericors, caste, liberrime, quod immensa
 bonitate propter Filium Ecclesiam tibi in
 genere humano colligis, & quod ei Ange-
 los

los tibi obedientes & castos addis custo-
 des, teq; oramus, vt deinceps nos regas
 & custodias. Et quia certissimum est, te
 velle vt doctrina tua legatur & propage-
 tur, fauere te laboribus discipulorum, & te
 pie inuocantium non dubitamus. Quare
 oramus, vt & coetus docentium protegas,
 & facias, vt simul cum Angelis tuis canant
 hymnum Angelicum, Gloria in excelsis
 Deo, & in terra pax, hominibus laetitia.
 Gloriam Deo canant, id est, sint custo-
 des verae doctrinae, vt tu verus Deus, ag-
 nita ira & misericordia tua propter Filium
 promissa recte inuoceris & celebreris. Ca-
 nant & pacem in terra, id est, verae Ec-
 clesiae consensum & consocietatem sapi-
 enter foueant, quia motis dissidijs multi
 fascinati erroribus a te deficiunt, & adiun-
 gunt se diabolis, qui serunt blasphemias
 aduersus te. Vitare igitur dilacerationes
 magna cura studeant. Laeticiam quoque
 hominibus adferant: videlicet, vt sit inuo-
 catio alacris & non impedita, & corda li-
 benter ad te accedant. Id fit, cum lucet ve-
 ra tui agnitio, & retinetur Ecclesiae con-
 cordia. Horum summorum bonorum fac
 vt nuncij sint Doctores & discipuli, vna
 cum castis Angelis, A M E N.

P R E-

P R E C A T I O V A G I E N -
T I S E C C L E S I Æ A D
Christum.

*Æ*terni de mente patris sapientia nata,
In qua mundi operum fulsit idea noui.
Et quæ distinxit pulcherrima corpora rerum,
Et iussit formas singula habere suas,
Hæc eadem in paruis vagit sapientia cunis,
Naturæ nostræ membra tenella gerens.
Si quanquã infundit se nostra in pectora, nobis
Nondum se totam cernere posse dedit.
Ut tamen in nobis sint tantæ exordia lucis
Tanquam vagitus dogmata prima sonat.
Nō spernis quanquã infirmos, si debita credant
Te ab ipse pro nobis Christe dedisse patri.
Ab precor infirmis adsis ut mentibus, atq;
Doctrinæ foueas semina sparsa tuæ.
Dum tua se totam pandet sapientia nobis
Atq; patrem clara luce videre dabit.
Quando mortali soluentur carcere mentes,
Et duce te cœli culmina celsa petent.
Christe tuo exulib. patriam tu sanguine reddis,
Nulla venit nobis te nisi dante salus.

P R E.

PRECATIO REGIS IO-
SAPHAT 2. PARALIP. 20.

Cum nescimus quid agendum sit, oculi
nostri ad te **D E V S** attolluntur,
reddita carmine à

IOACHIMO CAMERARIO.



IN tenebris nostræ & densa caligine mentis,
Dum nihil est toto pectore consilij.
Turbati erigimus Deus ad te lumina cordis,
Nostra tuamq; fides solius orat opem.
Tu rege consilij actus Pater optime nostros.
Nostrum opus vt laudi seruiat omne tue.

E

Eadem

Eadem precatio regis Iosaphat à Iohanne
Stigelio carmine reddita.

D V M nos aucta malis miseros atrocib. vrgent
Tempora plena dolis, tempora plena minis.
Siue manet pressos diri truculentia belli
Quaeq; abolet pacis vis inimica decus :
Seu crudele grauat falsa nos lege tribunal,
Damnata & immeritos vox violenta reos.
Siue lues atris exurit febribus artus,
Seu terit exanguis viscera sicca fames :
Mitis ab his terris gemitus pater accipe nostros,
Mandati sonuit vox vbi clara tui.
Hic quoniam largo tua gratia munere fulsit,
Factaq; per nomen vota suere tuum.
Da Deus in te vnum sincero pectore fixi,
Intrepide faciem stemus vt ante tuam.
Et nisi nos meritatua gratia deserat ira,
Stabimus, inq; tua spem capiemus ope.
Fundemusq; preces fido clamore sonantes,
Vt tanti auertas tristia fata mali.
Et tu respicies miseros, dubijsq; benignam
Rebus opem patria pro pietate feres.
Ecce dies & tempus adest, quo feruidus hostis
Irruit, & ferro viscera nostra petit.
Deleat vt grata pulsos è sede colonos,

Munere

P R E C A T I O N E S. 51

Munere quam tenuit nostra propago tuo.
 Angitur infestis te turba professa periculis,
 Milite dum tellus nostra vagata tremuit.
 Arma Moabites, mouet arma ferociter Ammon,
 Me miserum, si non maior utroq; venis.
 Ne patiare Deus grassari impune Gigantes,
 In nomen cumulant qui fera bella tuum.
 Et quia tanta nequit nostro vis Marte retundi,
 Et superat nostros copia tanta manus :
 Dum mens nostra graui caligine mersa laborat,
 Nec bene quid deceat, pectora cæca vident.
 Ad te oculos fixos, si da cum mente leuamus
 Tu gemitus audi, votaq; nostra Deus.
 Tu rege conatus, & robora mentibus adde
 Ut tibi, quod faciunt, omne probetur opus.

G R A T I A R V M A C T I O
 P R O B E N E F I C I O N A T I
 & exhibiti Christi.

O M n i p o t e n s , a t e r n e D e u s , q u i c u n c t a c r e a s t i ,
 Nostra tibi grates pectora & ora sonant.
 Quod genus humanū nō dira in morte relinquis,
 Effigiemq; tuam nec perijisse finis.
 Sed gnatum donas, qui nostros induit artus,
 Τὸν λόγον αἰδῆς πατρὸς ὑφ᾽ ἡμῶν.
 Hic est promissus patribus cognomine Siloh,



Isacide gnatos vt moriture doces.
 Namq₃ erat χείρ^ω similis, tenera atq₃ cruenta
 Fascia, pro nobis victima quando fuit.
 Cumq₃ sit Emanuel, non tantum crimina tollit,
 Gaudia sed reddit non moritura p^{ij}s.
 Semper adest nobis, semper sibi colligit agmen,
 Aeterni λ^ογος hic, viua & imago Patris.
 O res mirandas, mirando foedere iuncta est
 Humani generis languida massa Deo.
 Credimus hęc tibi gnate Dei, sic credere voci
 Prolata ex patrio præcipis ipse sinu.
 Sed tamen hęc fidei modica est scintillula, fiat
 Auxilio petimus fortior illa tuo.
 Ac veluti lucis radios Sol spargit in orbem,
 Tu Sol iusticię nos rege luce tua.

Et non

*Et non extingui patiare in pectore nostro
 Noticiamq̄, tui, noticiamq̄, Patris.
 Hospitiumq̄, tuæ doctrinæ protege Christe,
 Emanuelq̄, tuo semper adesto gregi.*

P R E C A T I O A F F L I C T I
 E X P A R A B O L A D E L A -
 zaro desumpta, Lucæ 16.

*Æger & ulceribus squalens in corpore toto
 Hic iaceo, & pereunt tabida membra fame.
 Diuitis ante fores iacuit ceu Lazarus olim,
 Cui fastidito nemo ferebat opem.
 Ut tamen à cunctis spretus tua cura, tuoq̄,
 Exceptus gremio Lazarus ille fuit:
 Sic æterne Deus tua me clementia seruet,
 Et miserum dextra protegat umbra tuæ.*

Hanc precationem vir doctissimus
 sic vertit.

*Τῆδε κακῶς μάλ' ἔχων, καὶ ὅλον δέμας ἔλκεσι βεβήτων
 κῆρ' ἢ δ' ὑπ' ἄλομφ' ἰμῶν ἀτλητὰ φέρω.
 ὡς πρὸ πάροιδε θυρῶν τῆς πλεσίστῃ οἴκτῃ ἐκείτῃ
 Λάζαρ' ὃ μὴδὲς ταῦτοτ' ἔδωκε τροφῆν.
 ἀλλὰ καθὼς σὺ μόν' ἀφ' ἐφροντίδ' εἶχες ἐκείνον
 δεξάμεν' κόλπῳ γλῶ πρὸ λίποντα τιῶ.
 ὡσαύτως εὖσσ' λαγχνὲ θεὸς μαγτῆ' ἔν με σαῶσας
 ὡ μοι ἐπισκίασαι τῆς τὸ σκέπασμ' ἡμῶν χερὸς.*

E 3 P R E-

P R E C A T I O A D S P I -
R I T V M S A N C T V M.

*Spiritus Domini nascentia corpora fouit,
Cum manus artificis conderet ipsa, Dei.
Sic foueat cœtus qui Christi oracula discunt,
Accendatq; igni pectora nostra suo.*

G R A T I A R V M A C T I O
P R O C O N S T I T V T I O N E
Ecclesiæ, & precatio pro conferua-
tione ex Psalm. 22.

*Symme Deus nobis patefacte in rupe Sinai,
Nostra tibi grates pectora & ora sonant,
Quod sancis solymis vt templi immota sit omni
Tempore dehinc sedes, quod tua dicta sonet.
Curia stat nobis sapiente ornata senatu,
Voce tua patriam consilioq; regens.
Pectora cunctorum dulcis concordia iungit,
Et studio edificant mœnia nostra pari.
Ifaciasq; tribus cunctas huc ire necesse est,
Cadenda est alio victima nulla loco.
Hic vox doctrine spargatur & vnica pura,
Quam nobis cœlo tradidit ipse Deus.
Ipsius vt bonitas in toto luceat orbe,
Notaq; sint verbi munera magna sui.*

Restituit

Restituit nobis vitam qui labe remota,
 Iustificat saluos & facit esse fide.
 Hic fons doctrinae sit limpidus inde fluentis,
 Non ficto Deus ut possit honore coli.
 Posteritus in qua Dauidis regna tenebit,
 Hic sedes semper non peritura manet.
 Diligite hanc Solymen & grato reddite corde,
 Debita huic omnes munera, vota, preces.
 Qui fouet officijs hanc iustis atq; tuetur,
 Protegat hunc semper dextera magna Dei.
 Sit tibi pax & vera salus, Ecclesia, semper
 Quae discis studio dogmata sancta pio.
 Fausta meos propter fratres, proterq; propin-
 Opto tibi & templi ne labesiat honos. (quos,

P R E C A T I O V T E C-
 C L E S I A A F F L I C T A D E-
 fendatur & gubernetur.

Auriconum vellus postquam transuexit Iason
 In patriam, sperans debita regna sibi.
 Oppressit Dominum nauis de culmine lapsa,
 Sub qua defessus iam cubat ille domi.
 Non te Christe tamen tua quam regis, opprimet
 Quamuis ut rimis est lacerata suis. (Argo,
 Tum quoq; cū fluctus ciet imo ex gurgite Orion,
 Et rapidi venti praelia seua mouent.

E 4

Quassa-

*Quassatam medio in pelago tua dextera seruat,
 Et verè es nautis anchora sacra tuis.
 O viua effigies aeterni luxq; parentis,
 Defendas cœtus optime Christe tuos.
 Qui tua non ficta discunt oracula mente,
 Atq; tuo poscunt numine semper opem.*

D E V E N I S M E T A L L I -
 C I S G R A T I A R V M A C T I O
 & precatio.

*Non casu volucres Atomi sine mente ruètes,
 Hanc mundi formam progenuere nouam.
 Formatrix sed mens sapiens ac optima mundi est,
 Omnia qui mira condidit arte, Deus.
 Consilioq; sagax varios distinxit ad vsus,
 Et prodesse homini cetera cuncta iubet.
 Et clara impressit cunctis vestigia rebus,
 Agnosci sapiens conditor vnde queat,
 Hac bonitas celebranda tua est Deus optime sem-
 Fac grate mentes vt tua facta canant. (per,
 Quare etiam grates pro tanto hoc munere dico,
 Quod certum est artis tantum opus esse tue.
 Intima quod venas sparsisti in viscera terra,
 Vsbus vt nostris apta metalla ferant.
 Lactea vbi fumis hydragyra mixta coquantur
 Sulphureis, fibra semina prima noue.*

Dantq;

Dantq̄, alias formas cœlestia lumina massis,
 Et vagus in terris hoc iuuat ignis opus.
 Sed satis effari queat hæc miracula nemo,
 Hoc certum est nasci cuncta fouente Deo.
 Vis etiam nostro quæri hæc tua dona labore,
 Legitimos vsus & tua dicta docent.
 Mandasti quondam fieret tibi vt aurea sedes,
 Intra aditum templi conditor alme tui.
 Iussisti binas argenti pendere drachmas,
 Vt seruaretur religionis honos.
 Et iustum esse doces, par compensatio cum fit,
 Sic vis pro sumta merce nomisma dari.
 Cumq̄, probas operas fossorum, Ecclesia sæpe
 His collecta locis fida placensq̄, tibi est.
 Strimonia docuit nam Paulus in vrbe Philippis,
 Hic vbi tunc auri vena opulenta fuit,
 Diuitiasq̄, loci celebrauit longa vetustas
 Vrbs ibi nam Datus non minor ante fuit.
 Sed cœpit Pauli doctrina ditior esse,
 Qui populi mores prædicat atq̄, fidem.
 Exul vbi viduæ pietate exceptus Elias
 Sidonia quondam non procul vrbe fuit.
 Hic à conflatis antiqua Sarepta metallis,
 Artem & opes monstrat nomine clara suo.
 Multa bonæ mentes exēpla hinc sumere possunt,
 Quæ formant mores quos probat ipse Deus.

58 P R E C A T I O N E S.

Esse Deum verum patefactum in rupe Sinai,
 Norint, qui mundum condidit atq; regit.
 Quiq; redemptorem misit de virgine natum,
 Qui viua aeterni patris imago sui est.
 Vocem Euangelij qui dura in pectora spargit,
 Fecundat montes semine vt ipse dato.
 Addit & huic vitam coelesti lumine voci,
 Afflatu mentes vrit & ipse suo.
 Disce Sareptana vidua pia facta, fidemq;
 Hec aliqua vt referas parte precare Deum.
 Ac simul effundi diuina in pectora lucem,
 Inq; sinus terra semina larga petas.
 Gnate Dei, effigies aeterni viua parentis,
 Hos populos serues, te precor atq; regas.
 Ac Euangelio semper tibi collige coetum,
 Concedas studijs hospitiumq; pijs.
 Hec animo volui, iuga per Ioachimica vectus
 Perq; Anna montes, qui modo nomen habet.

D E S I C L O.

Iusta sacerdotum designat munera Siclus
 Cuius in Hebraeis vrbibus vsus erat.
 In quo florescens insculpta est virga Aharonis,
 Que monet vt doceant dogmata pura Dei.
 Parte calix alia est impletus thure Sabao,

Hic

Hic offerre preces , vt noua thura iubet.
 Attamen ante alios summus facit ista sacerdos,
 Filius æterno de genitore satus.
 Ipse sinu profert nobis decreta parentis
 Restitui vitam quo velit ille modo.
 Hic Aharonæi cætus est florida virga,
 Ac Euangelij semina prima ferens.
 Hic & consilio mirando victima factus ,
 Iustitiæ soluit debita λύτρα patris.
 Cumq; cruor toto manaret corpore supplex
 Vulnera pro nobis obtulit atq; preces.
 Et sibi perpetuum doctrina colligit agmen,
 Viuificans verba pectora nostra suo.
 Quanquam autem ad dextram cœlesti in sede
 parentis ,
 Ipsis dat semper maxima dona pijs.
 Doctores tamen adiungit , sociosq; laborum ,
 Organa quos vocis precipit esse suæ.
 Cura sit his fontes doctrinæ nosse salubres ,
 Fundere & in populo flumina pura Dei.
 Cumq; sacerdotis Christi coniungere votis,
 Assiduos gemitus , cura sit , atq; preces.
 Gnate Dei nobis iram placato parentis,
 Et tua discentes dogmata Christe tegas.
 Tuq; λυγος viuens nostris in mentibus adsis,
 Et flatu accendas pectora nostra tuo.

PRECA-

60 P R E C A T I O N E S .

P R E C A T I O A D C H R I -
S T V M , V T S E R V E T
Ecclesiam.

*TE maneat semper seruante Ecclesia Chryste,
Inferosq; ipsi nos tua dextra tegat :
Tres velut in flamma testes Babylonide seruas,
Rex vbi presentem te videt esse Deum.*

A L I A P R E C A T I O A D
F I L I V M .



*N I L sum , nulla miser noui solatia , massam
Humanam nisi quod tu quoq; Chryste geris .
Tu me sustenta fragilem , tu Chryste gubernata
Fac vt sum massa surculus ipse tuae .*

Hoc

*Hoc mirum fœdus semper mens cogitet, vno
Hoc est, ne dubita, fœdere parta salus.*

Eadem precatio copiosius reddita car-
mine à Iohanne Stigelio.

*S V M miser, & non vlla dolens solatia noui,
Sumq̄, adeo culpæ nil nisi massa mea.
At tu solus habes, mihi quæ solatia præstes,
Qui datus es massæ portio Christe mea.
Mors tua Christe mihi vita est, victoria regnū.
Labe mea morior, sanguine viuo tuo. (dos,
Tu mihi rex pariter, pariter mihi Christe sacer-
Pro me namq̄, volens munus vtrunq̄, geris.
Destruis omnipotens veteris scelus omne Draco-
A quo omnis nostri manat origo mali. (nis,
Iratumq̄, tua placas pietate parentem,
Qua tuus in nobis crimina delet amor.
Ergo animam seruato meam, quam morte re-
dentam
E vita gaudes germen habere tua.
Viuo tibi, moriarq̄, tibi, tibi deniq̄, viuam,
Te quia iustifica Christe prehendo fide.*

O R A -

ORATIO AD CHRIS-
TUM, EX HISTORIA
mulieris Cananeæ, Matth. 15.



*Quantus erat dolor in Cananeæ matre puella,
Cuius mens furijs exagitata fuit.
In tanto nunc est Ecclesia mœsta dolore,
Doctorum furias cum videt, atq; ducum.
Sed tu gnate Dei gemitus audito precantum,
Nulla venit nobis te nisi dante salus.
Tu procul à nobis sæuos depelle furores,
Et sanes verbo pectora nostra tuo.
Quamuis ira tui nos vrget iusta parentis,
Atq; sumus turpes nos rea turba canes:*

Atta-

*Attamen vt timide sub mensa captat herili,
 Esuriens medicas parua catella dapes:
 Sic cum dira fames nostros absumserit artus,
 A mensa petimus pabula Christe tua.
 Gnate Dei generis nostri massam induis, vt nos
 Viuifica infirmos hac tua massa gerat.*

A L I A O R A T I O E X
 V E R B I S C H R I S T I I O H. 17.
 Sit dilectio tua in eis, qua me di-
 ligis & ego in eis.



*N*ec tu gnate Dei maius meliusue rogare,
 Aeternum poteris optime Christe patrem.
 Quam

64 P R E C A T I O N E S.

Quam quali σοεγῆ semper te diligit ipse,
 Diligat & simili nos vt amore pater.
 Nec tribui nobis hoc possit munere maius,
 Quid nati posset maius amore dari?
 Non apud Aeternum facis irrita vota parentem,
 Affirmat iurans hoc pater ipse tibi.
 Erga nos etiam es patrū tu pignus amoris,
 Iussus pro nobis debita λότρεα dare. (massa,
 Nos igitur quanquam sumus agra & sordida
 Credimus ista tamen munera summa dari.
 Confisiq; tua prece Christe, pericula nostra
 A summo petimus cuncta parente regi.
 Tuq; regas seruesq; infirmos numine, qui vis
 In nostris viuens mentibus esse λυγος.

P R E C A T I O M A T V T I -
 N A I O H A N N I S S T I -
 G E L I I.

Conditor d rerum, rerum seruator ab auro,
 Extra quem non est vllus vbiq; Deus.
 Quod redeunte fruor post actas luce tenebras,
 Gaudeo, agnosco munus id esse tuum.
 Tu genus humanum primum sine labe creasti,
 Vt sanctè vultus viueret ante tuos.
 Quam male deseruit, quā turpiter excidit illud?
 In mortem propria dum leuitate ruit.

At bonus

*At bonus es solus iustamq̄, vt concipis iram
 Sic illam patria pro pietate premis.
 Ergo admiranda natum pietate dedisti,
 Innocuus nostrum ferret vt ille scelus.
 Qui percussa fuit pro nostra, victima, culpa,
 Et vetus à nobis abluit omne nefas.
 Ingentes igitur toto de pectore grates,
 Perpetuus doni debitor huius ago.
 Teq̄, precor supplex dilecti nomine nati
 Me rege, me totum, numine flecte tuo.
 Auspice principium te spectet, & auspice finem,
 Quicquid agam vitæ dirige cœpta mea.
 Ipse magistratus etiam cœtusq̄, piorum,
 Vt tua conseruent dogmata sancta, rege.
 Da pacem, victumq̄, tuis, compesce tyrannos,
 Vt maneat verbi gloria iusta tui.
 Hac ego spe fretus quod vitæ postulat vsus,
 Suscepti aggrediar, dulce laboris onus.*

E I V S D E M P R E C A T I O
 V E S P E R T I N A.

*J*Am mea declino nocturno lumina somno,
 Omnia mox rigido membra sopore premar.
 Nec scio num possim rediveram cernere lucem,
 An mihi sit somni mors obeunda soror.

F

Sed

*Sed tibi summe Deus, Deus inuictissime grates,
 Quas toto possum pectore gratus ago.
 Incolumnem qui me voluisti hac luce tueri,
 Me vitam premerent vlla pericla meam.
 Quiq; repressisti grassantis demonis iram,
 Qui rabido populos circuit ore tuos.
 Nunc quoq; dum iaceo veluti morientis imago
 Mi Deus, hac nutu membra tuere tuo.
 Ne lasciuia meos perturbent somnia sensus,
 Organa tu mentis dirige crassa mea.
 Fac tuus immanem procul angelus arceat hostē,
 Cui proprium est regni ledere membra tui.
 Crastina sic cernens redeuntis tempora lucis,
 Grata tibi memori carmina mente canam.
 Iam cessent cura, placidi requiescite sensus:
 Tu mihi iam Christo, somne, fauente veni.*

**D V L C I S S I M I E T V E -
 N V S T I S S I M I V E R S I C V E R**
 quibus appellatio Siloh, quam Iacob
 Christo tribuit expressa est.

G Nate Dei effigies aeterni viua parentis
 Aeterni verbum mente satumq; patris.
 Indutus nostra qui carne in virginis aluo,
 Humanum accedis maxima Christe genus.

Te

Te pius Ifacides compellat nomine Siloh
 Quod tenera es foetus virginis, ipse tener.
 Ac velut inuoluens foetum membrana recentem
 Dum rude sub matris pectore turget onus.
 Mollis, & ad motus non est durabilis vllus,
 Pendet & a cotylis squalida tota nouis.
 Sic infirma fuit caro tunc tua maxime Christe,
 In cruce pro nobis cum lacerata fuit.
 Indueras etenim mirando foedere carnem,
 Huic nostrae similem supplicijq; ream.
 Sed vere fragilis nos ipsi & sordida pellis,
 Materna chorion labe reumq; sumus.
 Attamen hoc viuet chorion quando induis ipse
 Voce tua sonans, atq; cruore lauans.
 Sic autem nobis diuina haec munera dantur,
 Cum discunt vocem pectora nostra Dei.
 Ac coetus igitur discentum Christe tueris,
 Vt chorion vere sit schola casta tuum.
 Ab tua tuta precor seruetur fascia Siloh,
 Ne queat hanc vllus dilacerare furor.

PSALMVS XXIII.

Deus est pastor meus, &c.

ET Deus est pastor meus, & me ducit eunte,
 Eius & ad nutum pabula sector ouis.

F 2

Hoc

Hoc presente mihi contagia nulla nocebunt,
 Nil mihi praesidij, copia nulla deest.
 Namq; vagam reuocans in pascua pinguia mi-
 Et lato irrigui gramine pascit agri. (sit,
 Fontis & illines ad aquas deduxit amoeni,
 Vnde aura optati grata vigoris abit.
 Hic mihi languentes instaurat suauiter artus,
 Hic anima recreat viscera tota mea.
 Ille mihi custos, recto me tramite ducit,
 Iusticiae tutum, qua via monstrat, iter.
 Nomen ei iustus, causa mihi numinis vltro.
 Iusticia donat robur & arma sua.
 Hinc etiam mortis si caeca in valle vagabor,
 Militia metuam nulla pericla mea.
 Tu quoniam mecum Deus es, tu pastor euntem
 Et tegis, & tuto tramite ducis ouem.
 Vera mihi praebent dulci solatia fructu,
 Virga tua, & baculus muneris arma tui.
 Virga tua & baculus, verbi diuina potestas,
 Ferrea quod subito corda tremore quatit.
 Haec ego dum letor, te sic curante, parata est
 Ante oculos splendens regia mensa meos.
 Scilicet vt videant intabescantq; videndo.
 Qui mihi perniciem nocte dieq; parant.
 Tu mea Balsamea perfundis tempora Nardo,
 Vnde abit in totum cor mihi suavis odor.

Addo

*Addo quod & latices mihi te miscere salubres,
 Mensura est calicis plena fluensq; mei.
 Ergo ego dum carpam concessa pabula vitæ,
 Donec in hac mundi fece superstes ero.
 Me tua contiguo præcedet gratia passu,
 Me tua non reuuet cura paterna sequi.
 Sic habitabo tui felix sacraria templi,
 Perpetuoq; domus me teget vmbra tue.
 Discite mortales summum decus esse, bonumq;
 Vnius in templo posse manere Dei.*

Iohannes Stigelius.

D E T E S T A T I O N E G L I -
 G E N T I Æ E X C A P I T E
 17. Exodi.

*A*Cer Idumæus loca per deserta vagantes,
 Arcere Ebræos finibus ausus erat.
 Conseruitq; manus, sed Moses arma suorum
 Adiuuat & precibus prælia magna ciet.
 Et vincit quoties palmas ad sidera tendit,
 Quemq; vocat coram sentit adesse Deum.
 Brachia sed quoties iterum lassata remittit,
 Cogitur Ebræi cedere turba Ducis.
 Ergo die toto dum susus pellitur hostis,

F 3

Erectas

70 P R E C A T I O N E S,

Erectas palmas vt tenuisse queat.
Subiicitur cubitis orantis saxea moles,
Sollicitoq₃ suis corde petentis opem.
Sic quoties curasq₃ precesq₃ remisimus ipsi,
Ocia securis insidiosa nocent.
Illecebra vacuas subeunt dulcedine mentes,
Et facile in vitium pectora prona trahunt,
Exacuant igitur tot nostra pericula curas,
Proposita nobis exitijq₃ via. (cellis
Nec quisquam putet his se emergere posse pro-
Auxilium prasens ni Deus ipse ferat.
Conditor eternus vera est tibi voce rogandus,
Hunc tamen vt places ara petenda tibi est.
Nulla est grata Deo, nisi Christus filius, ara,
Qui luit officio crimina nostra suo.
Huic impone manus huic toto incumbito corde,
Ad patrem nostras perferet ipse preces.

Philippus Melanthon.

D E D I C T O.

Non potest sibi homo sumere quic-
quam, nisi datum sit ei à D E O.
Nullius est felix conatus & utilis vnquam,
Consilium si non detq₃ iuuetq₃ Deus.

Tunc

Tunc iuuat ille autem cū mens sibi conscia recti,
 Mandati officij munera iusta facit.
 Et simul auxilium præsenti a numine Christi
 Poscit & expectat non dubitante fide.
 Sic procedet opus faustum populisq; tibiq;
 Diriget & cursus aura secunda tuos.
 Innictamq; Dei dextram vis nulla repellet,
 Omnia cogentur cedere prona Deo.
 Ipsa etiam quamuis Adamanti incisa feruntur
 Cum petimus, cedunt Fata seuera Deo.
 Nec Deus est Numen Parcarū carcere clausum
 Quale putabatur Stoicus esse Deus.
 Ipse potest Solis currus inhibere volantes,
 Ipse velut scopulos flumina stare iubet.

Philippus Melanthon.

L O C V S E S A I Æ

X L I X.

O Re Sion querulo sic est formosa loquuta,
 Cum querente Deum mœsta pauore foret.
 Ergo reliquisti me tot mala data ferentem,
 Et memor afflictæ non es vt ante Deus?
 Huic Deus. An poterit curam deponere prolis,
 Vlla parens partum non miserata suum?

F 4

Si

*Si tam dura tamen, tamq̄ implacabilis vlla est,
 Ut possit sobolis non meminisse sue.
 Ipse tui nunquam mutabo oblitus amorem,
 Tu dilecta mihi filia semper eris.
 Ecce manu descripta mea tua mœnia seruo,
 Ut firma incolumen te statione tegam.
 Ecce oculis te gesto meis mihi cuncta videnti,
 Proxima ceu nunc es, proxima semper eris.*

Iohannes Stigelius.

A L I V S L O C V S E X

65. capite Esaiæ.

*U T sua qui lustrat prudens vineta colonus
 Dum piger autumnus, perdidit annus, opes.
 Cum videt intactum cœlo superesse racemum,
 Vnde queat musti pars quotacunq̄ premi.
 Parcite ait famulis, prouentu numen in illo est,
 Hinc aliquis vini sic quoq̄ gustus erit.
 Sic ego qui viuam Deum omnia mente guberno,
 Cui dolet humani causa pudenda mali.
 In morem Agricola parcens, non omnia perdam,
 Iure tamen perdi que potuerunt modo.
 Si quis adhuc restat, quamuis viciosus & aeger,
 Propitio cura quem iuuat esse Deo.*

HUNG

*Hunc ego seruabo, raram ceu vinitor vuam,
Perpetuo regni pars erit ille mei.*

Iohannes Stigelius.

O R A T I O D O M I N I C A
Iambico Dimetro.



D E V S sator mortalium
Terra potens & siderum,
Qui mitis in nos asperos,
Grauisq; culpa conscios,
Gaudes patris vocabulo,
Nutuq; seruas omnia.
Fac innotescat omnibus
Nomen tuum mortalibus,

F S

Verbi

Verbi tui suavissima
 Sic instruat nos gratia,
 Ut te colamus vnicum
 Sicut iubes per Filium.

Accende mentes lumine
 Tuiq; regni imagine,
 Ut inchoent hic aurea
 Vita perennis secula,
 Regno tuo nocentium
 Infringe vires hostium.

Fac nostra semper ut tuis
 Mens acquiescat legibus,
 Consentiat cum caelica
 Terrena pax concordia,
 Iussum ministret mens opus,
 Cura tibi sit exitus.

Dum congregatim viuimus,
 Largire nobis quaesumus
 Externa vite commoda
 Quibus vigent commercia,
 Agnoscat ista charitas
 Agatq; vere gratias.

Ignosce noxam fontibus
 Culpaq; vim dolentibus,
 Delicta si nos hostibus
 Non aspere remittimus,

Da pœ-

Da pœnitere mens queat
 Vt te iuuantem sentiat.
 Nusquam sinas nos obrui
 Draconis astu perditū,
 Captos sed hostis artibus,
 Tuis tuere viribus,
 Fac militemus strenue
 Et compotes victoria.
 Nos adseras ab omnibus
 Calamitatum casibus
 Ducemq; mentem corporis
 Ex mole duri carceris,
 Cum postulabunt tempora
 Hinc transferas ad sidera.

A M B N.

Iohannes Stigelius.

PRECATIO PRO CON-
 SERVATIONE VER-
 bi diuini.

SERVA Deus verbum tuum,
 Et frange vires hostium,
 Qui Iesum filium suo
 Turbare conantur throno.
 Ostende nunc potentiam
 O Christe Rex regum tuam,

Defende

76 P R E C A T I O N E S.

Defende paruulum gregem,
Qui te fatetur principem.
Viuificator spiritus
Concordiam da cordibus,
Ades periclitantibus,
Cum morte conflictantibus.

A L I A.

Adfere nos, verbumq; tuum Deus optime serua,
Et rabiem Turcæ, pontificumq; preme.
Qui tecum equali regnantem fœdere Christum,
Conantur patrio præcipitare throno.
Da pacem, defende tuos, tibi semper vt omnis
Posteritas laudes hic & vbiq; canat.

P S A L M V S V.

Verba mea auribus percipe &c.

Percipe verba tuas nõ vana ferentis ad aures,
Mi Deus, & linguæ suscipe vota mee.
Conceptas admitte preces clamantis, & audi
A te solo aliquam verba rogantis opem.
Quo sine non alius Deus est mihi, non alius rex,
Quē precer, aut corā quo mea dāna querar.
Nunc rogo digneris pater exaudire vocantem,
Quam

Quam primum orta noui lumina solis erunt.
 Mane nouo tua templa petam, spe plenus adibo
 Te quoq₃, vt obseruē quid tua dextra paret.
 Non equidem Deus es ceu vana ē gente deorū
 Impia cui placeant, qui mala sac̄ta prober.
 Te neq₃ consistet coram veri impius osor,
 Turba maligna tuos corruet ante pedes.
 Ante tuos oculos stulti fugere, nec vnquam
 Conspectus poterunt fulmina ferre tui.
 Omnes nanq₃ habuisti odio male semper agētes,
 Vindice te mendax lingua coacta tacet. (rens
 Sanguinis & cædum cupidos Deus odit, abhor-
 Quorum sunt varijs pectora plena dolis.
 Ipse autem tua templa petam, tua lumina visam,
 Confidens animi de bonitate tui.
 Illic te timidis precibus venerabor adorans.
 Cordaq₃ spe plenus, plena timore feram.
 Iusticiæ mihi frena tuæ pater indue, vt hostes
 Hic aliqua nequeant parte nocere mihi.
 Forsan aberrantem ne me ferus auferat hostis,
 Ingrediar, quod agam te duce, certus iter.
 Quando nihil certi sed tantum falsa loquuntur,
 Quorum vana nocens, pectora virus alunt.
 Quorū audas fauces & guttura fœda sepulcris,
 Quæ semper pateant, assimilare queas.
 Qui linguis aliud simulantibus omnia, blandis
 Fraudi-

Fraudibus vrgebant, & nocuere dolis.
 Arripe, fac precor esse reos, te iudice caussa,
 Ut ne perficiant quod voluere, cadant.
 Et quia non statuere modum deformibus actis,
 A facie hos omnes, eijce, pelle tua.
 Te siquidem vicijs irritauere nefandis,
 Parere imperijs nec didicere tuis.
 Fidentes tibi perpetuos latentur in annos,
 Te memores possint & tua facta loqui.
 Nam tibi dilectos defendis ab hoste, nec vnquam
 Oppressos curis tristibus esse sinis.
 Omnia contribuens iustis bona, protegis omnes,
 Qui tua iactantes munera, nomen amant.
 Sicut enim grauibus miles circundatur armis,
 Sic tuus hos miseros non sinit esse fauor.

Eobanus Hessus.

F I N I S.



L I P S I Æ,

IMPRIMEBAT IOANNES
STEINMAN.

Anno


M. D. LXXXVIII.

L. P. S. I. M.
IMPRIMERIE JOHANNES
STELLMAN.

1800

M. B. L. E. K. S. T. A. L.






Jun 1803

(X2215021)

B. 1.





FORMÆ
 PRECATIONVM
 IARVM, COLLECTAE
 XSCRIPTIS REVE-
 rendi viri D. PHILIPPI
 MELANTHONIS,

à
 Luca Backmeistero
 Luneburgensi.



L I P S I Æ.